APPARATUS

AD

HISTORIAM SVEO-GOTHICAM

CELSIANI

SECTIO SECUNDA;

QUAM CONSENSU AMPL. ORD. PHILOSOPH. LUND.
EDI CURAVERUNT

H. REUTERDAHL,
PHIL. ET THEOL. D:R.
PRÆFECTUS BIBLIOTHECÆ LUND., ORDINI THEOLOGORUM ADJ.,

ET

BENEDICTUS ANDERSSON,
SCANUS.

DIE 16 Dec. 1840.

P. XLI.

LUNDÆ,
TYPIS EXCUDIT C. FR. BERLING,
UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.
MDCCCXL.

Aphorismi Respondentis.

I.

Utrum linguæ, qua jam homines loquuntur, an illi, qua veteres locuti suut, prius studeatur, jam quidem quæritur; puto autem huic prius studendum esse.

II.

Qni virtutem habet, nulla re ad beate vivendum caret.

libet Ecclesiam Cathedralem, qui invigilent, ut statutum contra usurarios editum apud cathedrales et inferiores ecclesias, et quando episcopi visitant, publicetur, dum sermones ad populum habent, et si quos in diœcesi noverint usurarios, illos ammoneant, vel ammoneri procurent aut ad episcopum, si per eos fieri nequeat, referant, ut ipse executionem faciat.

Punctus CXXI.

Item constituitur festum angelorum totum duplex et ipsius festi octavæ instituuntur. Item tertia et quarta diebus paschæ et pentecostes post meridiem laborare in agris, quando instat tempus serendi, licet, nisi in eis alia festa occurrerint solennia.

Punctus CXXII.

Item oblationes, quæ obveniunt in publicis stationibus dividantur in tres coæquales partitiones, quarum una cedat ecclesiæ, vel alii pio loco, ubi offeruntur, altera episcopo, et tertia curato vel capellano loci; exceptis calicibus, ornamentis altarium et cera, quæ ecclesiæ vel loco cedant, cui specialiter offeruntur. Hoc verum, nisi aliud fiat in fraudem vel odium, pretium reliquiarum, quod tunc arbitrio episcopi vel capituli relinquitur moderandum.

Punctus CXXIII.

Item quod pro studio privilegiato, vel saltem particulari, erigendo Archi-episcopus cum capitulo pro loco et modo, suffraganei cum suis capitulis de personis aptis mittendis et earum stipendiis providebunt.

Punctus CXXIV.

Item quod benedictio nuptiarum fiat tantum in ultimo festo, ubi plura concurrunt, et contra facientes in tribus marcis puniantur.

Punctus CXXV.

Item quod si vir alias benedictus contrahit cum virgine vel corrupta alias non benedicta, nuptiæ solenniter benedicantur, sed si vidua contrahit cum benedicto, sive cum non benedicto, non benedicantur.

Punctus CXXVI.

Item quod *Credo* dicatur in festis quatuor doctorum, circa autem symbolum: *quicunque vult* in prima in festis dicendum, vel non dicendum, consvetudo ecclesiæ observetur.

Punctus CXXVII.

Item permittit statutum quod alterius diœcesis clerici possuut in diœcesi, ubi domicilium eligunt, ad sacros ordines promoveri, ita tamen quod si redire voluerint in propriam diœcesin nativam, *ex causa* *) non retineantur inviti per ordinatorem. Et dat episcopis promovendi ad minores ordines, sine singulorum præjudicio, mutuam facultatem.

Punctus CXXVIII.

Item episcopus captivans vel ducens, vel captivari seu duci faciens per suos officiales clericum vel ejus familiam, de quibus non est timor fugæ, punitur in XL. marcis, quarum una tertia cedit læso, altera studentibus, et tertia ecclesiæ cathedrali; quæ pœna dupletur in Archi-episcopo, si hoc fecerit, similiter dividenda.

Punctus CXXIX.

Item deputantur curatis et tutoribus ecclesiarum stipendia, scilicet duo modii de qualibet lesta, pro laboribus quos subeunt ratione decimarum illatarum in granario ecclesiarum, presbyter scribendo nomina inferentium, et quotam mensuræ, et tutores levando, mensurando et iterum assignando illis, quibus debetur; atque integraliter debent deferri excepta parte debita curtis, et post illationem secundum consvetudinem dividi. Et etiam intuitu istius stipendii liberantur episcopi et capitulares, seu alii, quibus decimæ debentur a structura granarii in esse conservatione. Et declaratur quod omnes super hoc non privilegiati decimarum tenentur lege divina et canonica, et decimas inferre et conservare; non solventes autem decimas debitas, si decesserint, ecclesiastica careant sepultura; et quod contra prohibentes decimas inferri in granaria procedatur per interdictum.

Punctus CXXX.

Item Scholares Clerici leviter se percutientes, svadente diabolo, ca-

*) forsan rectius *sine causa.*

stigati per suos rectores absolventur per episcopum, vel suum officialem sine pecuniaria pœna, sed atrox læsio inter eos reservatur arbitrio episcoporum, etiam quoad pœnam.

Punctus CXXXI.

Item *Pater noster, ave Maria, Credo,* in linguam maternam translata legantur coram parochianis, ut ea addiscant.

Punctus CXXX*II.*

Item voluntarii homicidæ, qui ipso facto majorem excommunicationem incurrunt, jurare debent ante sui absolutionem et pœnitentiæ injunctionem, ne de cetero committant homicidium voluntarie; et si relapsi fuerint, debet eis imponi pœnitentia pro perjurio et iterato homicidio; et sunt infames. Simile infra canone ultimo.

Punctus CXXX*III.*

Item prohibentur voluntarie se ipsos perimentes sepeliri in cimiterio, quod si fieret, cimiterium est pollutum.

Punctus CXXX*IV.*

Item quod presbyter habens plures ecclesias, tantum semel communicet die parasceues, licet officium peragat circa plures.

Punctus CXXX*IV.*

Item prohibita sunt clericis birreta fusca, ne publice in capite ea portent, exceptis prælatis, canonicis et graduatis. Prohibitus portans punitur in solvendo unum birretum privilegiato ad portandum, qui prius eum apprehenderit.

Punctus CXXX*VI.*

Item oneratur Archi-episcopus et suffraganei conscientias suas super unione annexarum et incorporationem ecclesiarum parochialium, ut fiant cum consensu capellanorum, si commode fieri potest unio, vel non.

Punctus CXXXVI.

Item declarantur casus, in quibus prohiberi potest a communione

corporis Christi, scilicet propter decimas, oblationes, funeralia, testamenta legata, censum pro benedictionibus nubentium et introductionibus post, partum debitum, emendas debitas ecclesiasticorum virorum et similes; et quascunque spirituales, spectantes ad forum ecclesiasticum, liquidas vel liquida, non solutum, solutas vel soluta. Sed pro pensionibus, obligationibus et contractibus civilibus non debet quis prohiberi; et prohibens punietur in tribus marcis.

Punctus CXXXVIII.

Item quod non fiat aspiratio in modum crucis super corpus Christi vel calicem prolatis verbis consecrationis, et quod corpus Christi in elevatione non vertatur ad austrum et aquilonem.

Punctus CXXXIX.

Item mandatur, quod statutum illud, una cum statutis editis contra violentos hospitatores et alios committentes violentias in fundis et colonis ecclesiarum et presbyterorum, seu in personis eorum, publicetur apud metropolitanam et alias ecclesias cathedrales, per præpositos rurales, dum juxta eorum officium visitant contractas eis commissas, ne incidentes in pœnam eorum se per ignorantiam habeant excusare.

Punctus CXL.

Item quod statuta omnia provincialia provinciæ Upsaliensis quæ reperiri possunt sumantur per capitula, et ad futuram congregationem prælatorum portentur.

Punctus CXLI.

Item homicida voluntarius, et excommunicatus majorem excommunicationem, ante absolutionem jurabit stare mandatis ecclesiæ, et prohibeatur eidem ex parte fidei, et sanctæ matris ecclesiæ, et per eum præstiti juramenti, ne de cetero similia committat; et si contrarium fecerit perjurus et infamis videatur, et sibi tam pro perjurio quam homicidio pœnitentia injungatur.